



17 44
NATVRA ET INDOLES
POTESTATIS ECCLESIASTICAE
PRINCIPVM IN GERMANIA

EX MENTE
INSTRVMENTI CAESAREO-SVECICI

E T

PRAESERTIM ART. 5. §. 48.

IUS DIOECESANVM etc.

AVCTORE

L V D O V I C O B R E T O N .



Kz. 3581



HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS HENDELIANIS.

MDCCCLXXIX.

2. 4. 06.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY
POLYTECHNIC IN GERMANY
INSTRUMENTS GEARED-SPECIES
LIBRARIES AT THE
UNIVERSITY OF
EDINBURGH

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
EDINBURGH

VIRO ILLVSTRISSIMO
LIBERO BARONI
JOSEPHO CAROLO MAXIMILIANO
DE FVRST ET KVPFERBERG
STATVS MINISTRO REGIS INTIMO | ET SVMMO
PER OMNES PROVINCIAS CANCELLARIO
CET. CET.

N E C N O N
VIRO ILLVSTRISSIMO
LIBERO BARONI
WOLFGANGO FERDINANDO
DE DOERNBERG
STATVS ET IVSTITIAE MINISTRO REGIO INTIMO,
RERVM SACRARVM ET SCHOLASTICARVM INTER REFORMATOS
ECCLESIARVM TAM GERMANICARVM QVAM GALLICARVM
SVMMO DIRECTORI,
SENATVS ECCLESIASTICI GERMANICI ET GALLICI SACRORVM
REFORMATORVM PRAESIDI,
IVDICII SVPERIORIS GALLICI ET MONTIS PIETATIS CAPITI,
ORDINIS IOHANNITARVM EQVITI
CET. CET.

MAECENATIBVS DEVOTISSIME COLENDIS
HAS STVDIORVM FINITORVM PRIMITIAS IN SVMMAE
VENERATIONIS TESSERAM
HVILLIME

D. D. D.

L V D O V I C V S B R E T O N .



ALIO ILLUSTRISSIMO

LITERIS ETATIS

JOSEPHO CAROIO MAXIMILIANO

DE LART ET RATHBERG

STATVS MINISTERIIS REGIS IN TERRIS ET SUMMA

PER OMNES PROVINCIAS DAKOMORARIO

CEI CER

ALIO ILLUSTRISSIMO

LITERIS ETATIS

AUGUSTE FERDINANDO

DE DÖERNBERG

STATVS ET IUSTITIAE MINISTERIIS REGIS IN TERRIS

PER OMNES PROVINCIAS DAKOMORARIO

ECCLIESIAVM TATI CUM CIVITATIBVS

PROVINCIAVM DUCITIONE

STATUTA SCIENTIAZ ET CIVITATIBVS ET GALLIAZ SCICORVM

PROVINCIAZ ET MONTIBVS PRAEFECTAIE

ADICION SUPERIORIS BREVICL ET MONTIS PRAEFECTAE CAPITI

CEI CER

WAGENSTAHLAS DNOCTISME COLINDIS

HIS STATUTORIBVS PINTORVM PINTORIBVS IN SUMMA

UNIVERSITATIBVS TERRIBVS

HUMPHRIES

EAD OAVIOAE SINE MON



NATVRA AC INDOLES

POTESTATIS ECCLESIASTICAE


PRINCIPVM IN GERMANIAE.

Ad ductum Virorum Clarissimorum qui interpretan-
dis Instrumentis Publicis quorum tanta est in
componendis Germaniae negotiis tam secularibus
quam ecclesiasticis auctoritas, strenuas vires nauarunt, quid

FOTUR

A

m.



imprimis Instrumentum Pacis Caesareo - Sueicum circa religionis dissidia sanxerit , enarrare tentabimus ; adeo non aliquid noui in tam arduis doctrinis in medium proferre cipientes , vt potius sententias & opiniones eorum qui de P. W. bene meriti sunt, colligere & ordine exponere vnicē studeamus . Neque tamen totum ambitum Instrumenti circa statum religionis amplecti licebit, sat erit pro viribus nostris , si iura suspensione iuris Dioecesani & anno decretorio virtusq[ue] religionis consortibus tributa ad du<em Art. V. §. 48. Ius Dioecesanum I. P. W. breuibus tradamus . Non nihil autem ad obtinendas has partes conducere videtur, si Iura Ecclesiae & Imperii inuicem separando , variaque certamina ex eorum conflictu orta enarrantes primum

1) Iura Ecclesiae in statu naturali consideratae,
deinde,

2) Iura Ecclesiae Christianae in Germania

accuratius expendimus . Hanc viam timido ingressuri pede, Le&ctoris benevoli indulgentiam , qua sola nititur fiducia nostra , quam maxime efflagitamus.

SECTIO I.

SECTIO I.

DE

IVRIBVS ECCLESIAE IN STATV
NATVRALI CONSIDERATAE.

Duas nobis licet praemittere obseruationes.

Tritis illis doctrinis nec vel tyronibus incognitis de societate eique competentibus iuribus haud immoramus, in delibandis quibusdam differentiis quae inter societatem in genere & eam quae Ecclesiae nomine venit, intercedere vindentur, rectius operam impensuros autumantes.

Neque etiam huius loci esse credimus totum complexum iurium imperantis in Ecclesiam euoluere; fontes ipsos adeant, quibus ea penitus cognoscere lubet; nos ea tantum attingemus in quibus Ecclesia respectu iurium Imperii ciuilis a ceteris societatibus differt.

Igitur singularia de iuribus Ecclesiae qua societatis & singularia de iuribus Imperantis in Ecclesiam seorsim & paucis tradenda erunt.

TITVLVS I.

SINGVLARIA DE IVRIBVS ECCLESIAE
VTAQVA SOCIETATIS.

Eccllesia est societas quae pro fine exercitium Religionis habet; iam vero si Religionis naturam consideramus, prono alueo fluunt, quae hanc societatem a caeteris discernunt.

Religio est complexus doctrinarum quae nobis normam cultus diuini praebent. Duplex igitur Ecclesiae finis, alter ad doctrinas, alter ad cultum directus; an vterque sibi indiulso nexu cohaereat, iam primum quaeritur? Certe cum doctrinae suppedimentum normam cultus diuini, hic ab illic ne minime quidem recedere posse videtur. Attamen ipsarum doctrinarum naturam perpendenti, alia forsitan sententia arridebit. Nonnullis enim quae ipsam religionis essentiam constituant necessario respondent actus quorum celebratio nonnisi ab iis omitti potest quibus Ecclesiae renuntiare animus est. Pone enim te illos actus celebrare nolle quibus ex Ecclesiae consensu assensus doctrinae fundamentali, e. c. existentiae diuinae, exprimitur, iam a societate recedis; aliae sunt praeterea doctrinae non adeo ad religionem facientes, vt iis deneganda sit societatis communio qui actus ipsis respondentes vel plane negligunt, vel suo & diverso quidem modo celebrant.

Hinc

Hinc merito infertur dari in quacunque Ecclesia doctrinas quasdam quibus omnes assensum (licet externum tantum) praebere tenentur qui ipsi addicti esse volunt; harum complexum Religionem efficere velut obiectum societatis consideratam, a cuius externa receptione pendent iura & obligationes cuiuscunque societatis istius membra, ab ea Religione longe diuersam quae pietate & sanctitate interna colitur. In iis vero doctrinis determinandis eadem observandae veniunt Regulae quae in definiendis Legibus societas in genere utilitatem suam exserunt, praeterquam quod pluralitat suffragiorum hic nullus sit locus.

Ipse iam cultus diuinus duplex est, prout vel externe vel interne assensum doctrinis religiosis damus & actiones his conformes earum caufsa suscipimus, quae vel in sensu incurruunt, vel hos effugient. Quaedam autem, ut diximus sunt doctrinae quibus omnia Ecclesiae membra assentire tenentur, ad talem assensum exprimendum non sufficit cultus internus, sed & requiritur externus. Quomodo enim de eorum animo constaret, qui eum neque verbis, neque factis declaraturi essent? at qualis sit cultus internus parum interest, nam mente licet a doctrinis in societate receptis recedamus, modo externe assensum profiteamur, omnibus iuribus eius membris competentibus, frui licet.

Hinc verum licet sit sacra societatem Ecclesiasticam a qualicunque alia secernere, tamen videtur haec positio non nihil esse limitanda. Sacra enim, si cum ill. BOEHMERO in



externa & interna distinguis, externa tantum sufficere autum ad tribuenda alicui iura societatis in qua recepta sunt. Quid enim? Sacra externa respiciunt cultum externum, ex hoc autem colligitur nos illis doctrinis assensum dare, quae vinculum & finis societatis sunt. Respuamus licet animo doctrinas & cultum internum, quid interest, dummodo in agendis & in cultu externo vera societatis membra nos praebeamus.

Adeo igitur ab imperio & coactione libera sunt sacra interna, ut singulorum animo quaelibet arridere doctrina, & a singulis ille celebrari possit cultus internus quem sibi ipsis elegerunt. Id vero societatis quam maxime interesse videtur, ut determinetur quid ad cultum externum pertineat, quales ritus faciant ad assensum exprimentum doctrinis receptis dandum, ut ii facilius dignoscantur qui vera Ecclesiae membra sunt & qui ab eius communione recentur.

Positis societatis Ecclesiasticae Criteriis, ad internam eius constitutionem iam deuenimus. Ecclesia est societas, habet igitur iura collegialia, sibi propria, ab omni imperio libera, hinc facili negotio ipsi applicari possunt, quae de societate in genere praedicari solent, nisi quod pro diuersitate naturae singularia quaedam habeat, hic pro ratione instituti breuiter recensenda.

Sin-

Singula Iura Ecclesiae Collegialia Potestatis Ecclesiasticae nomine veniunt. Haec est ius ea praeter religionem ipsam s. eius essentialia aut credenda determinandi quae ad finem Ecclesiae & obtinendum & promouendum pertinent, a Iuribus Collegialibus igitur haud diuersa; vtrisque enim idem finis, eadem ad eum consequendum media. Haec iura, hae obligationis ad quatuor capita commode referri possunt, 1) cultum nempe diuinum, 2) personas, 3) res, 4) & causas Ecclesiasticas.

1) Breuiores esse de cultu licet, cum hanc doctrinam iam supra attigerimus. Cultus innititur doctrinis, hinc potestas Ecclesiastica aequa in ipsis determinandis quam in iis actibus versatur ex quibus assensus eliciendus est, quem illis damus. Saltim conscriptio formulae, qua fides continetur, est potestatis ecclesiasticae, quum ipsa fides ad omnes inseparabiliter pertineat. Fides autem cum ad intellectum pertineat, nemini obtrudi potest; ita ut eius receptio actus sit mere spontaneus ac liberae voluntatis, quia tamen & formula fidei credenda continet, & omnia societatis membra fidem eandem souere tenentur, in aprico est formulam reiicientes extraneos esse, neque amplius ad societatem pertinere.

Si quaeras quibus signis ii agnoscantur qui formulam recipiunt, iam ad agenda transimus, quae actus ipsi sunt, quibus cultus celebratur. Illi actus doctrinis respondent, quae si essentiales sint, ipsam religionem constituentes, formula



mula credend rum inclusae, obligationem imponunt eos actus celebrandi, ex quibus assensus illis dandus, elici queat. **Vt imperari nequeunt & exigi** *), ita eorum omissio a societatis communione excludit.

Hinc exserit se iam Potestas Ecclesiastica in excludendis iis a societatis communione qui ipsius doctrinis non adhaerent; attamen praecipua eius vis ac autoritas in eo deprehenditur, quod cultum corum qui vera ecclesiae membra sunt, pro eius salute determinet, ordinem in celebrandis actibus religiosis statuat, & politiae introducendae ac conseruandae inuigilet. Eius igitur est definire an cultus diuinus a singulis societatis membris seorsim, an vero a pluribus in commune celebrari debeat, an hoc casu a quolibet pro lubitu peragendus, vel cuidam munus committendum sit, inspiciendi ut vniiformitas quaedam in cultu celebrando obseruetur & ratio ordinis & decentiae habeatur. Si ergo plures sub vnius directione ad hunc finem ab Ecclesia speciatim constituti, in commune cultum celebrant, rursus Potestati Ecclesiasticae incumbit, normam cultus istius publici qui Iure Positivo Exercitium Religionis in sensu stricto audit, praescribere, & cultum ipsum quoad modum, tempus, singulos actus & ut uno verbo dicam, quoad Liturgiam determinare.

2) Vni-

*) Pertinent enim ad sacra interna, in quibus libertatis conscientiae ratio habenda est. Intellectus autem cogi nequit.

- 2) Vniuersitati ceu personae morali eadem iura ad dominii acquisitionem competit, quae personae physicae. Igitur societas Ecclesiastica res habere potest, sibi proprias, de quarum vsu & proprietate ipsi pro lubitu disponere licet. Potestatis Ecclesiasticae est, earum usum & definire & moderari; si quaeras annon singularia quaedam circa res Ecclesiae notanda sint, iam memineris, haec singularia ex Legibus Positiuis originem trahentia, abesse, vbi Ecclesia tanquam societas consideratur, a limitibus Iuris Naturalis haud recedens *).
- 3) Si Ecclesia cultum publicum introduxit, talem nempe quem plures sub vnius directione & inspectione celebrant, eius etiam est personas constituere, quibus ea directio committenda sit. Qui tali officio funguntur, duplēcēt tunc sustinent personam, alteram qua membra vulgaria Ecclesiae sunt, neque melioris præ ceteris conditionis, alteram vero qua munere funguntur in Ecclesia ac praeter iura & obligationes sibi cum ceteris eius membris communēs, noua acquirunt iura, nouasque suscipiunt obligationes.

Merito

* Tribuant licet scriptores iuris ecclesiastici Ecclesiae multa iura singularia, viderunt ipsa eatenus tantum Iuris Naturae esse quatenus recta ratio s. Ius Naturale has LL. Positiuarum sanctiones approbat. Nobis vero Ecclesiam nulli subiectam & ab omni imperio liberam considerantibus, illa tantum Ecclesiae in statu naturali iura competere statuimus, quae ex eius essentia ac natura fluunt,

B

Merito autem affirmari posse videtur, directionem sacrorum, secundum instructionem ab ecclesia acceptam ipsis tantum competere, nullam vero praeminentiam, nullam autoritatem, a quo enim, quaeso eam tenerent, nisi ab Ecclesia demandatam? Hanc autem datam esse certe non praesumitur, licet fieri possit, iura quaedam collegialia & partes, ut ita dicam, potentiales Potestatis Ecclesiasticae in ipsis translatas suisse.

Hinc igitur modum cultus diuini & ne minimum quidem auctum ad ipsum pertinentem immutare poslunt, quibus eius cura commissa est; at si ex consensu Ecclesiae ius immutandi cultum ipsis concessum fuerit, quid impedit, quominus omnia iure agere videantur?

Ventilanda hic quaestio venit, nullius non momenti in applicatione ad Leges positivias *). Quaeritur an translatio Iurium quorumdam Potestati Ecclesiasticae s. Ecclesiae competentium in eius membra reuocabilis sit, aut non? Pacta, inquis, ex Legum Naturalium praescripto esse seruanda, nullo attento inter pacientes discriminé, ac nemini ius suum quae situm auferri posse. Et recte quidem sic. Sed iam animaduertas velim:

I) distin-

*) Clericos in Ecclesia christiana saepenumero Iura Ecclesiae Collegialia usurpasse & specioso translationis vocabulo ad se traxisse, nemo est qui ignoret. Ex his igitur principiis diiudicanda ve nit iporum auctoritas.

- 1) distinguendam esse sedulo ipsorum iurium translationem a transiacione exercitii eorum. An e. c. Princeps semper jurisdictionem alienat, ipsum nempe Ius Maiestaticum? an non potius quam plurimum iura ab ipsa pendentia a quodam exerceri iubet, salua potestate eorum exercitium rursus alii pro lubitu committendi? Applica haec ad Ecclesiam. Forsitan iura quaedam collegialia quoad exercitium in Ecclesiae membra translata sunt, non iura ipsa, s. translatio facta est per modum officii, non priuilegii; hinc quod precario concessum est, etiam pro lubitu ab Ecclesia reuocari potest.
- 2) Ulterius vero progredimur. Ipsa iura Collegialia si in Ecclesiae membra iure translata fuerint, an & tunc reuocari poterunt? Certe & hic ad sacram Legis Naturae anchoram libentes configimus. Omnino dicimus seruanda esse pacta quae inter qualemque societatem & quaedam eius membra intercedunt; sed duplum ministeris in pactis personam sustinere Ecclesiam, pacientibus alteram, alteram qua saluti totius societatis inuigilat. Ipsa igitur translatio valida quidem est, sed nihilominus tamen vi dominij eminentis quod Ecclesia haber, iuris necessitatis & officiorum quae sibi in collisione deber, & subiectionis, qua salus singulorum membrorum cedit saluti omnium, translationem torti societati noxiā vel talem ob abusum eorum in quos facta est, mox futuram, & annihilari & rescindi posse videtur.

Re-



Redimus ad rem. Munera ipsa varia esse possunt in Ecclesia, tot enim emergunt, quot Iura Potestas Ecclesiastica aliis exercenda tradit. Videntur tamen in genere tam ad directionem cultus quam administrationem bonorum quae societati propria sunt, reduci posse. Haec taciti praeterimus quoniam singularia a LL. Positiuis mutuantur. Illa vel ipsam cultus publici celebrationem respiciunt & aetibus ministerialibus absoluuntur, vel reliqua omnia comprehendunt quae instar medii se habent ad finem Ecclesiae promouendum. Fieri itaque potest, ut vni vel pluribus ius demandatum sit Ecclesiam in conuentibus quibusdam congregandi, ut de eo quod ipsius saluti conductit, deliberetur, inuiligandi nequid Legibus contrarium agatur, poenas Ecclesiasticas infligendi ac exsequendi &c.; quae exempli tantum gratia afferimus, cum aequa innumera esse possint munera Ecclesiastica, ac multifaria dantur iura Ecclesiae collegialia.

- 4) Eminent inter cetera munera Ecclesiastica munus ius dicendi, si quae lites orientur sacra concernentes, ut enim Ius Ecclesiae Collegiale est Leges sancire circa sacra, ita ipsius ius est diiudicare, an quid Legibus contrarium agatur *), cuius

*) Distinctione igitur inter causas obiective & subiective Ecclesiasticas plane hic carere possumus. Illas esse inquit ill. NETTELBLADT (in Iure Naturae) que sacra concernunt, has quae potestati Ecclesiasticae subsunt. At queso, nonne iure Naturae omnes causae quae sacra concernunt, Potestati Ecclesiasticae subsunt & vice versa? At Iure Positivo multum inter vtrasque, ob diversitatem iudiciorum interesse, libens quisque confitebitur.

cuius iuris exercitium vni vel pluribus demandari potest.

Haec de Ecclesia in statu naturali, nullis, nonnisi socie tatis vinculis obstricta. Iam si pars est ciuitatis, oritur nexus quidam inter eam & Imperantem.

TITVLVS II.

SINGVLARIA DE IVRE IMPERANTIS
IN ECCLESIAM.

Si membra Ecclesiae qua ciues considerantur, subditorum loco respectu Imperantis sunt; si nexus mere Ecclesiasticus attenditur, oritur Imperantis ius circa sacra Maiestaticum, si ad paetia respicis, quae Ecclesiam inter & Imperantem intercedere possunt, habes ius quoddam conuentionale. Hic tantum in naturam Iuris Maiestatici circa sacra, proprius inquirere liceat. Est Ius Imperantis determinandi quae in Ecclesia respectum habent ad salutem ciuitatis. Vnde vero ipsius fons & origo? Rem ab initio repetamus.

Cum tam taedio vitae solitariae, quam propriae securitatis caussa, homines in societatem coirent, originariae libertati renuntiantes, in eum iura sua transtulisse videntur, quem praet aliis virtute ac dotibus ingenii conspicuum esse existimarent. Hinc ciuitas coalescere coepit, cuius membra Imperanti eminens quoddam ius tribuerunt ea agendi quae saluti publicae ipsi conducere viderentur.

B 3

Iam

Iam si post constitutam ciuitatem, noua quaedam accesserunt membra, in ea statim se exserit ius Imperantis, vbi enim nouus ciuius commodis vitae socialis frui cupit, censemur etiam tacite in id consensisse, vt obligationes in se susciperet, quibus ciuitatis constitutione primi ciues se obstrinxerunt.

Nec singuli tantum Imperanti subsunt, sed & si in minores qualesunque societatis coalescant; cum enim haec congregations ius quaesitum principis nec tollere, nec saluti totius ciuitatis aduersari queant, in aprico est, & has saluti publicae conuenienter regi posse.

Quae si ad Ecclesiam applies, fontem hic Juris Maiestatici circa sacra scatere facili negotio deprehendes.

Adsum vel adesse igitur possunt in quacunque ciuitate Iura Maiestatica Imperanti & Iura Collegialia singulis societatis propria; horum membra duplum respectu Imperantis personam sustinent, alteram subditorum in genere, alteram vero qua pro diuerso fine societatis specialibus defunguntur iuribus & obligationibus. Inde iam quaestio oritur, quinam sint limites Iuris Maiestatici praesertim circa sacra?

Si ad prima ciuitatis incunabula retrogredi, velumque quod longa series annorum Historiae penetralibus praetexit, rescindere liceret, haud multas forsan inueniremus gentes, quae vbi in ciuitatem coaluerunt, ita iuribus suis renuntiuerint, vt ipsa, nulla reseruatione facta, in Principem transstule.

stulerint, quin verosimilius videtur semper pacta inter nouam ciuitatem & Imperantem intercessisse ex quibus utriusque iura deinceps dimetienda ac Principis potestas limitanda esset. Iam si pacta deficiunt, an illimitatum censetur ipsius Imperium, an nullis cancellis circumscripta ipsius iura Miestatica?

Vt viator quem tenebrae occuparunt, incertus qualem teneat viam, tremulum, quod forte sibi in conspectum venit, sequitur lumen, sic dubium ac fluctuantem fureconsultum, deficiente certitudine, iuuat nonnunquam ad praesumptions confugere. Sint & nobis sacra anchora. Adsint nobis in vindicandis Iuribus ciuitatis aduersus Imperantem. Quid enim, si populus potestatis sibi propriae partem pacto expresso sibi non reseruauerit, an statim concludes, nullam & ne minimam quidem particulam ipsi iam saluam esse? Quin potius recurras velim ad causas eur primae ciuitates constitutae fuerint? Gentianam certe ac vnicum fundamentum in securitate publica, quam singuli asequi non poterant, inuenire tibi licebit. Sit tibi iam ea ratio tuendae securitatis optima Interpres voluntatis populi ac fons dirimendae controversiae. Annon iam omnem translationem Imperii in Principem ea cum limitatione factam esse censem, quatenus securitas salusque publica exinde promouenda erunt. At inquieris, militat pro Principe praesumtio aequa ac pro populo, haud equidem nego, at quaequo, quaenam fortior? an ea quae pro Imperante omne quod habet Imperium a libera

po-

* * * * *

populi voluntate tenente, an quae pro populo, alii pro lubitu iura sibi propria demandante?

Aliam probandi viam ingrediamur. Translata sunt inquis iura populi in Principem, nullo intercedente pacto Imperantis potestatem limitante; ergo illimitatum ipsius dictis Imperium; si sententiam de pacto praesumto etiam euincere queas, vietas dabo manus; si de expresso tantum, nihil egisse videris. Adhibenda enim hic distinctio inter ea quae expresse & quae tacite inter Imperantem & populum pacta sunt. Instas: has distinctiones subtilem Iuris Romani theoriam redolere; consensum praesumtum & pacta quae huic superstructa sunt Legibus positius inniti, his vero in statu naturali deficientibus, ruere quicquid pacti praesumti nomine veniat.

At iam propriis decertare te licet armis. Certe nititur consensus praesumtus Legibus; sed quibusnam? an positius tantum & Romanis quidem? nonne potius naturalibus? Vnicum enim aequitatis, fontis consensus praesumti fundamentum, est recta ratio & ius quod inde fluit, Adeamus sacra Legum Romanarum Oracula, nonne omnes uno ore aequitatem stricto iuri opponunt, Ius Posituum nempe naturali? Edictum praetoris euoluamus, conspirat & hoc nobiscum.

An


An igitur dubites, alios dari limites potestatis Imperantis in populum, quam illi qui exprefse *) paſto definiti sunt? annon rationi ac aequitati maxime consentaneum ad praefumtionem ſupra allatam recurrere quae ſecuritatem publicam, fontem, normam & limitem ſimul Iurium Maiestaticorum statuit **).

Haec de limitibus Iuris Maiestatici in genere, quae tamen non ſine diſcrimine quodam ad ſocietates & ſpeciatim Eccleſiaſticas applicari queunt. Accipe momentum diuerſitatis.

Societas Eccleſiaſtica vt omnes coetus minores in ciuitate exiſtentis eft eius pars & ſine ea cogitari nequit. Licet enim in abſtracto iura Eccleſiae, ſeu coetus a ciuitate plane diuerſi conſiderari poſſint, licet, vt ipſius naturam reūtius perpendamus, hanc quaſi liberam ab omni alio nexu ſpectemus,

*) Illi limites innituntur praefumtione quae pro populo militat, ac in aequitate naturali fundata eft. Vocabulo paſti praefumti abſtinuimus, quoniam horum exiſtentis merito negatur & effētus qui ex hiſ fluere dicuntur, vnicę aequitati adſcribi poſſunt & qua tales a Legibus poſitiuſ & Romanis in ſpecie adoptati ſunt.

**) Alia iam quaeftio eft, cuinam facultas competat iudicandi, an Princeps limites potestatis ſua transgrediat? In genere huic doctrinae non immerito applicari tritum illud poeft: conſtat de Theoria, ſed alia ſeruat Praxis.



mus, nihilominus tamen in concreto ciuitati inesse, ac iis iuribus regi censetur, quibus cetera ciuitatis collegia reguntur, habita tamen ratione differentiae quae pro natura obiecti & finis inter eam ceteraque societas intercedit, ac diuersitatem regiminis secum trahit. Non valent igitur de Ecclesia quae de limitibus Imperii Principis in ciuitatem dicta sunt; cum a diuersis ad diuersa concludere non licet, non enim ut haec imperium habet Ecclesia, nec igitur in alium transferre potuit; quin in omnibus potius ceteris societatis in ciuitate existentibus aequiparatur, nexus subiectionis Imperanti deuenientia.

Temperanda tamen esse diximus Iura Maiestatica pro singulari fine Ecclesiae. Quae igitur ad sacra interna pertinent etiam sua natura extra potestatem Imperantis sunt; ac iis Iuribus opposita quae Imperium ciuale in Ecclesiam exercet, rectius cognosci poterunt. Hic igitur ad pleniorum euolutionem Iurium Maiestaticorum circa sacra deuenimus.

Innumera haec iura ad quatuor species reducunt Doctores, ita ut ad vnguem quasi definire videantur quid ad Iura Collegalia, quid ad Maiestatica pertineat, ac sic amborum fines determinare, quasi nunquam regundi essent. Nobis, pace tantorum virorum dicam, videtur, eundem fere esse ambitum Iurium Collegialium ac Maiestaticorum; ac viraque iisdem defungi obiectis, cum iura collegalia, emergente ratione utilitatis publicae, statim in Maiestatica euadant, sic e. c. Potestatis Ecclesiasticae est condere liturgiam, tempus

pus & modum cultus diuini definire, nec minus tamen Iuris Maiestatici est tale iuris Collegialis exercitium ad normam utilitatis publicae dirigere & quid huic circa Liturgiam &c. conueniens sit, statuere.

Diximus eadem fere complecti Iura Collegialia & Maiestatica, & merito quidem restringenda erat propositio, nam alia dantur iura Potestati Ecclesiasticae, alia Iuri Maiestatico propria.


Priora iis defungi videntur, quae ad sacra interna, cultum internum & constitutionem Ecclesiae, quatenus cum salute ciuitatis ne minime quidem connexa est, pertinent. Posteriora vero iura sunt, quae singulis competit Imperantibus in collegia minora ciuitatis; haec, ut singularibus insigniuntur vocabulis, ita tantum pro differentia personarum & rerum in quae excentur a ceteris iuribus diuersa sunt quae Imperium ciuale in quasuis societates in ciuitate existentes, exserit, ut ex sequentibus dilucidius patebit. Inter iura maiestatica circa sacra esse praeter alia & Ius Reformandi, notum est.

In origines Iuris Reformandi *), ceu Iuris Maiestatici Imperanti circa sacra quam maxime proprii, iam inquiramus.

C 2

Pen-

*) Vocabulo a Iure Ecclesiastico Positivo hic vti liceat, cum in ore omnium, ac a scriptoribus Iuris Naturalis receptum sit.



Pendet omnino ab arbitrio Imperantis quascunque in Republica consociationes & approbare & prohibere, prout huic proficuae esse vel aduersari videntur. Nihil hic singulare in Ecclesia deprehenditur; si qua enim consociatio Ecclesiastica in societate oritur, talis nempe quae exercitium externum Religionis pro fine habeat, Imperantis est limites ipsi praescribere, ita ut id iuris vnicce consequatur, quod ei tributum fuerit. Hinc Ius Reformandi est ius determinandi an & quale exercitium Religionis per consociationem celebrandum in ciuitate licitum sit? Ipsius autem limites faciliter negotio intelligi possunt, cum enim potestas imperantis eatenus tantum in sacra externa se exserere possit, quatenus eorum celebratio per consociationem promouenda est, frangitur circa sacra interna quae a singulis coluntur, ita ut horum respectu ceteris ciuibus aequiparandi sint, libertate conscientiae donandi.

Iuribus Maiestaticis annumeratur etiam Iurisdictio Ecclesiastica *), quae non immerito Principi vindicari videtur. Ipsi enim prima ciuitatis constitutione ius Belli demandatum, singulis olim proprium, nunc ab eo per ordinata iudicia ex-

* Contentiosam vocat III. BOEHMERVS in Compendio Iuris Canonici, atque ita ambiguam vocis significationem determinat; a I. Can. enim scriptoribus & pro potestate Ecclesiastica & pro iure vicario lites Ecclesiasticas decidendi, usurpat. Nobis est ius Principi proprium de iuribus ad Ecclesiam pertinentibus iuridicis cognoscendi & iudicandi. Sic quibuscunque Logomachis praeceditur.

ercendum; nec vlla hic differentia inter singulos ciues ac societatem & in specie quidem Ecclesiasticae intercedit, cum collegia quae tantum permittente Principe & existere & constare possunt eius respectu personam moralem sustineant, ac physicae in omnibus aequiparentur. Iurisdictio quam supra ecclesiae, vt societati vindicauimus, definit, quam primum haec in rem publicam comigrat. Reipublicae enim nunc interest, nemini ius suum quaesitum eripi, neminem priuata vi vti & iura sua consequi nisi autoritate imperantis.

De Inspectione & Aduocatia Ecclesiastica, quae iura praeter Istitutionem adhuc speciam Principi tribuunt, id tantum monendum videtur quod illa non tam singulare ius sic Imperantibus in Ecclesiam quam fons omnium Iurium ab eo in Ecclesiam exercendorum; haec vero Ecclesiae cum omnibus Collegiis in ciuitate existentibus communis sit. Breuibus: Prior respectu Ecclesiae est ius principis, posterior ipsius obligatio.

Haec de Iuribus Imperanti propriis, nonnunquam tamen (& plerumque pro nexus Ecclesiae cum Imperio accidere solet) exercitium Iurium collegialium ita apud Principem deprehenditur, vt haec cum Maiestaticis in ipsius persona coexistant. Quonam iure ipsis competere possint, quaeritur?

Iure Naturae vnica tantum datur via ad acquisitionem Iur. Colleg., translatio nempe vel expresse vel tacite ab Ec-

C 3

clesia



clesia in Imperantem facta; qui quid enim de acquisitione & translatione Iurium in genere praedicatur, ad Ecclesiam eiusque iura applicandum est; & certe ea delatio prudentiae esse videtur cum saepe eueniat Principem sub velo salutis publicae iura Ecclesiae angustis cancellis circumscribere, ceu autoritatis suae aemula.

De translatione iurium collegialium quae fit per denotionem, non hic est differendi locus, haec doctrina ex Hypothesi DD. nostri aeui nata, accuratius in seqq. perpendicularia erit; nunc ad ipsum finem harum paginarum proprius iam accedimus.

SECTIO II.

DE

IVRIBVS ECCLESIAE CHRISTIANAE IN GERMANIA.

Certe, si nulla diuersitas probari possit, nihil impedit, quominus omnia quae de Ecclesia in statu naturali dicta sunt, ad Christianam applicentur, at vero cum ipsius iura praesertim in Germania aequa varia fuerint ac eius fata, ad ipsa Ecclesiae Christianae incunabula configiendum nobis est, ita vt ex monumentis historicis fontem iurium Collegium & Maiestaticorum sedulo eruamus.


TITV.

TITVLVS I.

DE ECCLESIA CHRISTIANA IN GENERE.

Primam Christianorum consociationem, prima Ecclesiae vestigia seculo post Christi mortem deprehendimus. Adserat quidem, testantibus paginis sacris, & viuente Christo, & statim post eius obitum, Ecclesia quaedam, haec tamen, cum ad sanctitatem internam, noua Religione promouendam directa atque vnione externa plane destituta esset, ex principiis iuridicis haud aestimanda est; hinc Ecclesiae nostrae, vbi de ipsis iuribus controvertitur, immerito ea tribuuntur ac applicantur, quae de Ecclesiae primaeua ab autoribus sacris referuntur. Ex ruderibus enim consociationum quae ad propagandam nouam doctrinam ynice directae erant, enata est deinceps Ecclesia Christiana finem externum, liberam nempe cultus externi celebrationem ad normam doctrinarum quas Christus introduxerat, palam profitens. Ruere igitur videatur fundamentum Papocafariae quae in translatione iurium Christo, ex mente Pontificiorum, qua Ecclesiae Christianae Duci, competentium, nititur.

Vbi vero Ecclesia in formam societatis iuridicae euasit, instituta synagoges quoad constitutionem internam retinuisse videtur, ea tamen cum differentia, quod antistites Iudeorum, ob nexus sacerdotii cum Imperio, quod utrumque Deum auorem habebat, Iura Ecclesiae Collegialia & Maiestatica simul vi officii ipsis a Deo commissi & ceu administratores



tores exercuerint; cum Ecclesiae Christianae Ducibus nihil praeter limitata quaedam iura socialia competierit. De diversitate tam potestatis quam dignitatis testantur ipsa vocabula quibus Ecclesiae Christianae & Iudaicae antistites insigniebantur. Illi enim ἀρχοντες, hi ἐπισκόποι & ἡγέμεναι dicebantur.

Quamdiu Ecclesia christiana haud multos habuit sectatores, intra limites societatis aequalis substituit, ac nulla Hierarchiae vestigia in ipsa animaduertimus; quin ex monumentis historicis istius aeuī colligitur, Diaconis, Presbyteris & Episcopis, nulla iurium ac gradus praerogativa inter se diversis, commissam fuisse ab Ecclesia politiae internae curam, quae cum ex fine ipsius maximopere diiudicanda sit, merito eo spectabat, ut noua doctrina sincera moresque sancti seruantur. Circa res Ecclesiae non minus restricta videtur eorum autoritas, cum enim deessent bona toti Ecclesiae propria, iam ex eo patet admodum exigua fuisse administratorum iura; compertum praeterea est, singulos Christianos pro viribus patrimonii liberales in egenos se praestitisse, ita ut iuxta primaeuam eorum disciplinam Ecclesia bonis sibi propriis sine dispendio carere potuerit.

Nescio an falsus sim, sed videtur Ecclesia tum primum in formam societatis inaequalis evasisse ubi Episcopi & Metropolitani praesertim praे aliis Ecclesiae ministris autoritatem consecuti iurium Collegialium exercitium sibi cum exclusione Diaconorum & Presbyterorum arrogauerunt, ac Imperium quoddam in Ecclesiis suae Dioeceseos ac eorum anti-

stites

stites usurparunt, quod tamen angustis cancellis seculo quarto circumscriptum adhuc erat, cum electio Episcoporum apud Ecclesiam remanserit.

Nec mirum est creuisse paullatim Episcoporum auctoritatem; procelloso enim rerum statu & afflita tempestatibus Ecclesia, nonnulla ministris suis indulxit, ad maiora semper adspirantibus, cum propriae securitati inuigilaret.

Id vero quam maxime notandum est, quod & his iam temporibus rebus secularibus se immiscere & particulam Iuris Maiestatici, Iurisdictionem nempe inter Diocestanos per modum arbitrii usurpare conati sint; hinc orta est Episcopalis audience cuius meminit Iustinianus in Codice suo.

Iam vero assidente religione Christiana sedi Caesareae, mutata est Ecclesiae forma ac constitutio; Imperatores enim Christiani ceu praemium libertatis quam Ecclesiae pressae vindicarant eius iura sub specie defensionis ad se traxerunt, ipsa non renuente. De potestate quam in eam exercuerunt, testantur vno ore annales Ecclesiastici istius aeui; quin Constantimum Magnum praesidem Concilii Nicaeni in sessione quadam vindicem suae autoritatis ita Episcopos alloquentem refert Eusebius. Vos, inquit, in rebus, quae intra Ecclesiam fiunt, in actibus ministerialibus, concionibus, ordinacionibus &c. constituti estis Episcopi, me vero in rebus quae extra Ecclesiam fiunt, exercitio iurium Ecclesiae Collegium, Deus ipse Episcopum constituit,

D

Su-

* * * * *

Supererat igitur Ecclesiae Christianae ymbra tantum iuriis sibi propriae, quod tamen ruente Imperio Romano ad ipsam haud reuersum est, sed a Pontificibus Romanis viam Hierarchiae a longo iam tempore sibi sternentibus, usurpatum fuit; hi enim inter calamitates quibus desolabatur Imperium Romanum maiorem semper quibusunque artibus consecuti auctoritatem in Ecclesiasticis, tandem Tyrannici imperii fundamentum posuerunt, quod per plura dehinc secula in orbem christi num exercuerunt.

Non aliud igitur fontem potestatis Pontificiae praeter usurpationem quaeramus. Nulla enim vestigia delationis iuris collegialis a tota Ecclesia factae, in Historia occurruunt, ac eliminatum foris nostris est quicquid olim de Pontificis Romani Vicariatu fabulati sunt. Haec nonnullius momenti fuerunt in diiudicanda natura Potestatis Ecclesiasticae Principum Catholicorum & Evangelicorum in Germania.

T I T V L V S II.

DE IVRIBVS ECCLESIAE CHRISTIANAE IN GERMANIA ET QVIDEM ANTE PAC. WESTPHAL.

A tempore quo Carolus Magnus regnum Occidentis restaurauit usque ad Reformationem varius fuit Ecclesiae Christianae status in Germania, ac varia ipsius fata. Seculis enim 9. 10. 11. 12. & 13. eum ex imbecillitate Imperatorum fructum perceperunt Pontifices ut tam iura Ecclesiae Germani-

manicae Collegalia quam Maiestatica Imperatorum circa sa-
cra sibi arrogauerint, ita ut omnia eorum nutu regerentur;
hinc eos ritus solemnes praescribere, Liturgias condere, Con-
cilia conuocare, munera concedere, poenas Ecclesiasticas in-
fligere ac redditus Ecclesiarum pro arbitrio percipere vide-
mus. Sedem potestatis aequae in Germania ac Romae fixe-
rant, ac iam inconcussa videbatur.

At seculis insequentibus usque ad Reformationem im-
minuta sunt sensim Pontificum iura; maiorem tamen dili-
gentiam in vindicandis iuribus Maiestaticis circa sacra quam
in Collegialibus adhibuerunt Imperatores; nec mirum; in
illis enim vindicandis suae utilitatis ac dignitatis quam maxi-
me intererat, in his Ecclesiae tantum; in illis cum Pontifi-
ce tantum ipsis decertandum erat, in his autem cum toto
agmine Clericorum vicaria iura acriter defendantium.

Consecuta Reformatione, tota fere labitur autoritas Pon-
tifica; ipsius ruinis superstruitur Ius Maiestaticum circa sa-
cra a vinculis Hierarchiae Romanae in plerisque liberum,
Imperatori ac omnibus Germaniae Principibus superioritate
territoriali gaudentibus, competens.

Non autem adeo expeditum est, quid iis temporibus
circa Iura Collegalia contigerit; certe alia fuerunt eorum
fata respectu Principum Catholicorum, alia respectu Euau-
gelicorum; rem ab origine repetamus.

D 2

Non



Non idem erat post Reformationem ambitus iuris Collegialis Ecclesiae in Germania qualis fuerat primis Ecclesiae seculis & qualis ex conceptu societatis Ecclesiasticae deriuari potest. Pontificibus enim iura Collegialia usurpatibus ac Episcopis eorum vicem in Germania gerentibus enatum est Ius Dioecesanum, Iura Ecclesiae propria ac praeterea vero multa alia iura inter quae & Maiestatica quaedam deprehenduntur, complectens. Hic iurium complexus est potestas Ecclesiastica ex mente Pontificiorum. Nam inde quaeritur :

1. Quale ius competit post Reformationem Ecclesiae Catholicae ? an Collegiale stricte hic dictum vel Dioecesanum ?
 2. Quale Ecclesiae nouam Protestantium doctrinam amplexae ?
 3. Quale denique sit illud ius, per quosnam exercendum erit ?
- 1) Circa Ecclesiam Pontificiam ne minima quidem mutationis vestigia deprehendere licet. Haec enim cogitari nequit, nisi immutatis principiis ac fidei dogmatibus quibus Religio innititur, vel imminutis a potestate seculari Ecclesiae iuribus. Vtrumque autem haud probari potest, nam et si aliquanto purior post Reformationem euaserit Ecclesia Pontifica, attamen & doctrinas & formam regiminis integras seruauit. Quod autem Potes tas secularis adeo non ipsius iura laeserit, ut potius eorum vindicem se praeftite.

stiterit, ex eo merito colligitur, quod nouam doctrinam
eliminare ac eius fautores opprimere semper conata sit.
Mansit igitur systema doctrinarum, mansit & Ius Dioce-
sanum.

- 2) Seruatum ne vero inuenta Reformatione apud Protestantes vel ipsi Ius Collegiale primitium surrogatum est? Si ex principiis ratiocinamur, videtur, Ecclesiae primituae forma ac iuribus, durante regimine Pontificio alteratis tandem reuiuiscentibus, omnia in pristinum statum reducenda esse, ita ut iura Ecclesiae Evangelicae ex Legibus & constitutione primituae dijudicanda veniant. Speciosa haec sane sunt, sed si huic Hypothesi adhaerere velimus, quale definies, quaeso, tempus Ecclesiae Christianae, quod normam constitutionis a Reformatione introducendae, nobis sifstat? annon eius iura singulis seculis variarunt? pri-
mum certe Ecclesiae aeuum nobis sifstes; an vero status ille ita necessarius est, ut iura quae in eo viguerunt, vbi similis fere Ecclesiae status adest, nec diuersa esse, nec ali-
ter pro vario rerum statu determinari possint?

Caute in doctrina de effectibus Reformationis pro-
cedendum esse videtur. Distinguamus inter ea quae cir-
ca religionem internam, dogmata fidei & cultum immu-
tavit, & ea quae ipsius occasione in constitutione politica
Ecclesiae sublata vel introducta sunt & iam omnia plana-
erunt; ex hoc itaque capite inferri potest, omnia insti-
tuta regiminis Ecclesiae Pontificiae catenus asseruata esse,

D 3 qua-



quatenus cum principiis Protestantium non repugnant *); & ius Dioecesanum ceu complexum iurium Collegialium in Ecclesia Euangelica receptum fuisse; negantibus incumbit probatio factae mutationis, quae monumentis historicis adminiculanda est.

3) Qualecunque fuerit denique istud ius, cuinam in utraque Ecclesia competierit, quaeritur? De Pontificia res in apri-
co est; nulla enim apud Catholicos mutatione facta, stetit forma regiminis Ecclesiastici, ab illis in posterum etiam exercendi, quorum iam antea fuerat. Hoc autem Regimen innititur principiis Ecclesiae Catholicae, & cum haec ex illis diiudicanda sit, consequitur eam nonnisi a Clericis secundum Hierarchiam introductam, regi posse.

Non vero adeo expedita est res in Ecclesia Euangelica, multum autem euicisse proderit & ibi retentum fuisse ius Dioecesanum, quatenus cum principiis purioribus Protestantium constare potest, nec minus scire iuuat quod illud ius penes Principes Euangelicos sit; ipsum enim ab illis quotidie exerceri videmus. Quomodo vero & quo iure ad illos peruenierit, quaeritur?

Magnum

*) Liceat haec exemplo illustrare. Hierarchia Ecclesiastica & forma regiminis externi in Ecclesia Euangelica non recepta est, vnde mutationis ratio reddi potest, nisi ex diversitate principiorum? Alia iam quaestio est an haec Hierarchia saluis ac illaesi eius principiis retineri non potuerit? adeone pericolosum esset Ecclesiam regimini Ep.- & Archiepiscopali subesse? quid si (sit venia verbo) Pontificem Euangelicum etiam haberemus?

Magnum hic dissensum inter DD. deprehendimus, prae-
cipua autem causa cur in tam diuersas partes abeant, ea esse
videtur, quod rationem translati Iuris Dioecesani in Principes
Euangelicos, alii in iure, alii in facto quaerant. Nos ad ar-
duam hanc doctrinam accedentes & medium quandam viam
timido ingressuri pede, veniam nobis efflagitamus si forsan
doctrinis Virorum omni pietate colendorum, minus obse-
quentes nos praestiterimus.

Antiquissimum occurrit systema pristinum Halense seu
ab Autoribus Thomasiano Boelheimerum. Ab his supe-
rioritas Territorialis ceu fons Iuris Episcopalis Principum
Euangelicorum indicatur. Explosum iam ac foris nostris
eliminatum est.

Affine huic videtur systema Moserianum, autori ipsius
illusterrimo arridet sententia: Principes Euangelicos, suadent-
te Luthero ac necessitate, curanda ac exercenda suscepisse iura
nouam doctrinam profitentium; Pacem Westphalicam eos
deinde in possessione horum iurium confirmasse; ex com-
plexu eorum iurium efformatum fuisse ius circa sacra.

Accuratus hanc Theoriam perpendentibus, videtur
eam ad sequentes propositiones reduci posse. Ius circa sa-
cra sunt Autori iura Collegalia in specie sic dicta a Principi-
bus Euangelicis acquisita; Princeps vi superioritatis territo-
rialis nulla iura Maiestatica habet in Ecclesiam; Exercitium
iuris Collegialis ad Principes Euangelicos per usurpationem
per-

* * * * *

peruenit. Ecclesia tempore Reformationis in statum Ecclesiae primitiuae redacta fuit.

In eo igitur praecipue differt hoc sistema ab Halensi antiquo quod posterius Iura Collegialia a superioritate territoriali deriuet, sive Ecclesiae Euangelicae iura propria de- neget; prius ea Dominis Territorialibus catenus tantum tribuat, quatenus ea tempore Reformationis occuparunt.

Haec tantum circa sistema nostrum animaduertere li- ceat. Si Principes Euangelici iura Ecclesiae actu possessio- nis usurparunt, vnde sit, quae, eorum potestatem quibusdam in regionibus etiam Euangelicis adeo limitatam esse & reliquias Iuris Collegialis nonnunquam deprehendi. Deinde si statuitur Ecclesiam Euangelicam in statum primitiuae redactam fuisse, vnde ratio reddetur iurum, praesertim in systemate Moseriano, quae Principibus Euangelicis compe- tunt & quae tamen penes Ecclesiam primitiua neque fue- runt, neque ex huius natura deduci possunt? Hinc nobis sem- per ad Ius Dioecesanum ceu ex Iure Collegiali Ecclesiae & eo quod antistites Romani sibi quibuscumque artibus arro- garunt, efformatum, confugendum erit.

Huic Iuri Dioecesano recentiores Iuris Canonici scripto- res systemata sua superstruxerunt; sistema enim Tubingia- num seu Collegiale statuit potestatem Ecclesiasticam s. Ius Dioecesanum ad Ecclesias Euangelicas reuersum ab his in Principes Euangelicos delatum fuisse, cui hoc argumentum

op.

opponitur : Ecclesiae Euangelicae non habuerunt potestam Ecclesiasticam tempore P. W. nec eam P. W. recuperarunt , igitur nec in alios transferre potuerunt , quod ipsi non possiderent.

Quae nobis non magni momenti videntur ad euerten-
dam hanc Hypothesin ; nam si certum est P. W. tribuisse
Principibus Euangelicis suspensa iura Episcopalia , non mi-
nus certum est , haec ipsis eatenus tantum tributa fuisse , qua-
tenus possiderent , ita ut semper respectu eorum quos P. W.
eventualiter in possessione confirmauit recurrat quaestio : An
& quo iure ante P. W. ea iura possederint ? Ut igitur vis
argumenti se exserat , probandum est , etiam ante P. W. &
annum decretorum defuisse Ecclesiis Euangelicis iura Epi-
scopalia .

Aliis potius armis fautores huius systematis decertandi
videntur . Consensu , inquiunt , delata sunt Iura Episcopalia
Principibus Euangelicis ; at certe ipsis onus probandae affer-
tionis incumbit , ita ut ex monumentis historicis pacta singu-
larum Ecclesiarum cum Dominis territorialibus eruenda sint .

Emergit denique nostris temporibus sistema deuolutio-
nis , quod licet forsitan negetur , consensu tanto inniti videtur ;
nam in eo defenditur , Ecclesiam oppressam a Pontificibus
eorumque Vicariis a Dominis Territorialibus liberatam fui-
se ; ad eorum instantiam factam fuisse suspensionem Iurium
Episcopaliū , ac merito deinde ab Ecclesia ipsis relista fui-
se



se iura, quae proprio labore ac periculo ipsi parauerant. Hic statuendum est, Ecclesiam vel tacite consensisse, vel non, priori casu res facti est, quae probanda, posteriori mera usuratio est.

Certe deuolutionem, non paetum intercessisse, afferitur, sed quaeſo, nonne deuolutio est translatio iuris, ac in tam dubia vocis significatione, nonne eam interpretationem sequemur, quae ex natura rei oritur & quae etiam a systematis fautoribus suppeditatur.

Nouam ingredi viam non audemus, attamen liceat quasdam coniecturas in medium proferre.

Videtur translatio Iuris Dioecesani in Principes Euan gelicos non tam in iure posita esse, quam in facto, ita ut errent qui eam ex illis fontibus scatere existimant, vnde iura legitima deduci solent. Si enim ad tempora respicimus in quibus translatio ista facta est, ea adeo turbida deprehendimus, ut in illis non tam Leges, quam vis & arma viguerint.

Noua Protestantium doctrina ea habuit fata, quae Religionis Christiana primis Ecclesiae temporibus, ut haec vero, profitentibus ipsam Imperatoribus Christianis, Patronos & defensores inuenit, ita videmus Principes Germaniae Reformationem amplexos noua sacra & promouere & tueri; cum deinde sub colore Religionis bella exorta essent, facile accidit, ut Principes Germaniae tam propria quam Ecclesiae iura defendantes, haec primum vicario nomine exercuerint, postea vero

vero in totum retinuerint, nisi forsan quaedam Ecclesiae particularum iuris proprii sibi vindicarunt.

Cum praeterea Ius Dioecesanum nonnulla Iura Maiestatica completeretur, non mirum est, crescente semper in Germania superioritate Territoriali, Principes Euangelicos limites excessisse & plus iuris sibi tribuisse, quam sibi competitierit.

Denique cum imminentे necessitate Iura Collegalia ciusque societatis in ciuitate existentis, in Maiestatica euadant, facile ex hoc etiam fundamento ratio reddi potest, cur Principes Euangelici & propriae & subditorum securitati prospicientes horum iura primum defendenterunt, dein retinuerunt.

In sequentibus temporibus varia fuerunt fata tam Ecclesiarum quam Pr. Euangelicorum; in aliis enim Territoriis illas nonnulla aduersus Principes consecutas esse iura, in aliis hos quiete iura quorum possessionem acquisiuerant exercere videmus, donec P. W. aeternam Germaniae salutem allatura, non attenta iurium natura ac origine, omnia ex possessione diiudicanda esse sanxerit.

TITVLVS III.

DE IVRIBVS ECCLESIAE CHRISTIANAE IN GERMANIA POST PACEM WESTPHALICAM.

Cum Instrumentum Pacis Osnabrugense norma sit iurium vtriusque religionis consortibus competentium, ex ipso

E 2 hoc





hoc fonte deriuanda , quae in adeo controuersa hac doctrina proponenda erunt. Distincte autem procedere videmur si 1) iura Principum Catholicorum in subditos eiusdem religionis; 2) Principum Euangelicorum in Euangelicos 3) Principum Catholicorum in subditos Euangelicos & vice versa , 4) denique Principum Euangelico - Lutheranorum in subditos Euangeli. Reformatos & vice versa scorsim & breui bus consideramus.

1) Eos fere seruauit limites potestas Pr. Cathol. in subditos eiusdem religionis quibus ante P. W. circumscripta fuerat. Non illis enim profuit Reformatio, nec iis suspensa sunt iura Episcopalia. Indirecete tamen & occasione P. W. aucta & in religiosis eorum iura videntur ; nam cum P. W. statibus Germaniae superioritatem territorialem in toto suo ambitu ac tales confirmauerit qualis & nunc extat, certe iura Maiestatica sibi ceu propria ex certa lege vindicarunt. Ipsis Ius Reformandi expresse concedit P. W. cum utraque pagina verba occurrant: *Cuius est regio, eius est religio.* Adsunt & iam ante P. W. vindiciae Iurium Maiestaticorum contra Pontifices. Vi summae Inspectionis Elector Bauariae legatos pluries misit qui Ecclesiarum visitationi adessent, alii Principes ius placiti sibi arrogauerunt, alii ius conferendi beneficia & dignitates Ecclesiasticas. Nonnulli & nostris temporibus suis subditis interdixerunt, ne sine consensu suo vitam monasticam amplecterentur. Plura vide apud V. C. a STECK de iure

re-

reform: pag. 290. at iurisdictionem Ecclesiasticam cum iuribus collegialibus in totum sibi reseruarunt antistites Catholicci.

- 2) Alia ac valde diuersa sunt iura Principum Euangelicorum in subditos eiusdem religionis. Legem adeamus. *Ius Dioecesanum & tota Iurisdictione Ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanae confessioni addictos quam inter ipsos solos augustanae Confessionis status usque ad compositionem dissidiis religionis christianam suspensa esto.*

Nos commentatorum vestigia haud premere, id vero vnicce studemus, indicare nimirum quid iuris ex sanctione P. W. Pr. Euang. accreuerit.

Suspensum. igitur est Ius Dioecesanum.

Hanc suspensionem profuisse Princ. Ev. extra omne dubium est, cum ad hos potestas Ecclesiastica ex mente Pontificiorum peruerterit; id tantum addendum est, quod cum Ius Dioecesanum admixtum fuerit iuribus Maiestaticis, haec confirmata praesertim superioritate territoriali, ad Pr. Euangelicos redierint.

Suspensa etiam iurisdictione Ecclesiastica, hoc nomine insignitur hic non solum potestas ius dicendi in caussis quae tam personas quam res Ecclesiasticas concernunt; sed in sensu iuris Dioecesani usurpatur. Iam Pax Religiosa viam ad hanc suspensionem strauerat. Liberauerat enim Euangelicos

* * * * *

gelicos a Iur. Eccl. in rebusⁱ quae professionem fidei concernebant; hic vero sit plena suspensio; *cum omnibus suis speciebus.*


Facta denique suspensio est tam inter Cath. & Aug. Conf. addictos, quam inter ipsos solos Aug. Conf. status. Prior legis pars nostra hic non refert, posterior tantum huius loci est. Nobis ita videtur. Qualemque sensum interpretes his verbis tribuant, in id tamen conspirant, ut Ius Dioecesanum ad Pr. Ev. peruenisse statuant, hoc concessò & facta, ut ita dicam, analysi Iuris Dioecesani, facile intelligitur Pr. Euangelicos iura Maiestatica recuperasse, collegialia autem, quae Episcopi possederint, praeterea acquirere, sine consensu catholicorum, potuisse, cum subditi ipsorum euangelici non contradixerint.

Neque tamen silentio praeterire possumus, quod non nulli negent P. W. Principibus Euangelicis iura Collegialia tribuisse. Certe non *expressè*, at *implicite* tamen; tempore enim P. W. ignota erat differentia inter Iura Collegialia & Maiestatica. Enata est haec distinctio recentioribus temporibus ab iis procreata qui iura Ecclesiae in artem redigere conati sunt. At ipsum Instrumentum ait, Ius Dioecesanum suspensum fuisse, & monumenta historica testantur Principes Euangelicos huius iura exercuisse. Quidnam autem continet Ius Dioecesanum, nisi ius Ecclesiae Collegiale, autem ex principiis Pontificiorum quod deinde ad id magnitudinis peruenit ut & Iura Maiestatica
ad

ad se traxerit? Quid aliud igitur tribuit P. W. Principibus Euangelicis quam ius collegiale, cum in eorum favorem Ius Dioecesanum suspenderit?

- 3) Non adeo expedita sunt iura princ. Cath. in subditos Euangelicos; haec vnic ex verbis legis diiudicanda sunt; hinc larga litium seges. *Catholicorum & A. C. laddicti status provinciales & subditi qui anno 1624. Ictionem Ecclesiasticam agnouerunt, in iis casibus, modo dictae Ictioni subsint, qui A. C. nullatenus concernunt, modo iis ratione processus nihil iniungatur A. C. aut conscientiae repugnans.*

Fontem distinctionis praebet igitur nobis annus decretorius; aut enim anno 1624. Catholici in possessione iurisdictionis Eccl. fuerunt aut non; iam de priori casu dicendum. Expressa Legis verba indicant Catholicis seruatum esse iura Dioecesana quatenus ea anno normali posse fuderint; salua limitatione, quae ex ipsa rei natura fluit. Exercitum enim quorundam Iurium dioecesanorum tale est, vt cum doctrina Protestantium & libertate conscientiae nullo modo constare possit, & cum praecipuis finis pacis W. fuerit ecclesiae euangelicae securitas, huius stabiliendae causa adiecta est clausula necessaria, modo iis &c. Iam animaduertere liceat alterum, quod valde dubia sit clausula haec, cum in hunc & illum possit torqueri sensum pro mente eorum, quorum interest latiorem seu strictiorem ipsi tribuere significationem. Quinam sunt illi casus qui A. C. & conscientiam, vllatenus concernunt, quod hic



hic ad P. R. ceu sacram Anchoram confugere & clausulam Religion, Glauben, Kirchen Gebräuchen, Ordnung und Ceremonien betreffend, interpretari soleant, haud nescio, sed cum P. R. & W., licet in caussis religionis ad idem tendant, duae sint plane diuersae Leges, hinc potius ex verbis ipsis, ex fine & analogia totius sanctioris nostrae verus eruendus esse sensus videtur. Multo plus his quam P. R. verbis inesse existimo; verba enim *nullatenus, conscientiae repugnans* &c. excludunt omne exercitium iuris Dioecesani quod ullomodo cum doctrina Euangelicorum constare nequit, nec minus excluditur regimen catholicorum in Euangelicos, vbi id a doctrinis penderit, quas hi respunnt; hinc fons multarum litium dirimendarum, hinc dijudicare etiam licet an caussae matrimoniales, testamentorum & Calendarii, P. R. licet non comprehensa, non eam tamen ob rationem a Ictione Catholicorum exemptae sint, quoniam iura circa eas exercenda a principiis penderit, quae alia apud Catholicos, alia immo opposita ac huic doctrinae repugnantia sunt apud Euangelicos.

Iura deinde Maiestatica circa sacra Principibus Catholicis eo casu ex dupli fundamento competunt; saecularibus & iis, qui potestatem saecularem cum ecclesiastica coniunctam habent, primum ex superioritate territoriali, quae adeo non restricta est P. W. vt potius in immensum creuerit; dein cum Principibus ecclesiasticis Ius Dioecesanum competit, hoc vero nonnulla Iura Maiestatica complectatur, in aprico est, & horum

horum iurium exercitium Pr. Catholicis, si in anno decreto-
rio ea exercuerunt, merito tribui, salua tamen semper limita-
tione §. citati, ne sub specie vtilitatis publicae ac dominii emi-
nentis, violentur iura ac bona Euangelicorum.

Si Euangelici anno decretorio iurisdictionem Ecclesiasti-
cam non agnouerunt, tunc ab ea & post immunes sunt, &
omnibus effectibus suspensionis eorum caussa factae fruuntur.
Ius autem Dioecesanum, quale est ex mente Pontificiorum,
Ecclesiae proprium sit. *Ius Dioecesanum inquam*; non vi-
detur enim statui posse redux Ecclesia primitiva cum iuribus
suis Collegialibus, quin attendendus potius est Ecclesiae sta-
tus, qualis fuerit tempore P. W. & ex eo ipsius iura diundi-
canda sunt, cur enim alii essent effectus suspensionis Iuris
Dioecesani respectu Ecclesiae, quae subest Pr. Euang. ac eius,
quae ab ipsius imperio libera est? Breuibus: suspensio Iuris
Dioecesani ipsum ius non immutauit, sed his ademit, illis
vero tribuit.

Quid vero de Iuribus Maiestaticis hoc casu sentiendum
erit? Videntur haec quam maxime restricta esse. Cum enim
Ius Dioecesanum nonnulla iura Maiestatica complectatur,
scil. Iurisdictionem ecclesiasticam forem, facile intelligitur
haec simul cum illo ad Ecclesiam transisse, ita vt Principi
Catholico eae tantum reliquiae potestatis in Ecclesiam saluae
sint quae ante P. W. & in subditos eiusdem religionis exer-
cuerit, haec autem valde limitata & ad Inspectionem & aduo-
catiam plerumque restricta fuisse, quis ignoret? Accedit &

F

hoc

* * * * *

hoc, quod alienum a mente P. W. aequalitatem iurium statuente, fuerit Pr. Cath. in Euangelicos auctoritatem concede re, quam antea non habuerant & quae mox in tyrannidem sacram degenerare possit.

Pergimus iam in exponendis verbis P. W. quae de iuribus Principum Euangelicorum in subditos Catholicos agunt. *Eodem etiam iure Augustanae Confessionis Magistratum Catholicum subdit censeantur, inque hos qui anno 1624. publicum Religionis Catholicae exercitium habuerunt, Ius Dioecesanum quatenus illud Episcopi dicto anno quiete exercuerunt, saluum esto.*

Dissensus circa textum legis & emendationes quas in suum fauorem effingere conantur Interpretes Catholicci taciti praeterimus. Ex verbis Legis, ab omni errore iam vindicatis *) iura quam maxime controuersa eruere potius tenteremus.

Iam ipsa suadente Lege, rursus enascitur distinctio, num anno normali Catholicci exercitium religionis publicum habuerunt, aut non. Priori casu ipsa decidit Lex. *inque hos Ius Dioecesanum saluum esto.* Itaque qualem potestatem habuerunt Episcopi anno normali, eam & nunc seruant.

Neque tamen negant & ipsi Catholicci Legem conditio nes quasdam exercitio huius iuris apposuisse, quibus deficien tibus & ipsum ius ruit, requiritur enim ut subditi anno 1624. exer-

*) Consuluntur Pukisch & Henniges ad hunc locum.

exercitium religionis & quidem publicum habuerint, vt Episcopi ius Dioecesanum quiete, nimurum nulla contradictione verbis interposita ac nulla interruptione facta exercuerint; denique vt eatenus tantum istud exerceant, quatenus anno decretorio exercuerunt. Omnia igitur iura Episcoporum diiudicantur hic ex possessione.

Ex his fluunt consecaria quaedam respectu iuris Maiestatici circa sacra.

Haud accurate determinare licet quale ius Principi Evangelico in subditos Catholicos qui ecclesiasticam suam iurisdictionem anno decretali non agnouerunt, competit; prout enim hoc anno latius patuerit aut restrictum fuerit ius Dioecesanum, maiora etiam aut minora fuerunt iura Principis euangelici, in genere tamen affirmari potest, aequo restrictum esse eorum ius ac Principum Catholicorum qui subditis Catholicis imperant (adest enim par ratio) nisi exinde iura aliquanto maiora ipsis accrescant, quod probari possit, Episcopum anno decretorio non fuisse in totum, sed pro parte tantum in possessione iurium Dioecsanorum, Principem autem euangelicum eo anno nonnulla iura ecclesiastica praeter ius territoriale, exercuisse. Hinc iis assentire non possumus qui indistincte & in genere iura Principum Evangelicorum in tales subditos eadem enumerant: siue annus decretoriis adfistat siue non, (Vid. I. H. BOEHMER in diss. de iure stat. potest. circa monast. cath.) cum aequo diversa sint ac Germaniae Territoria, licet in qualicunque casu quaedam iura

F 2

Maiesta-



Maiestatica & Principibus Euangelicis in subditos Catholicos denegari non queant, scil. ea quae P. W. liberum ius territoriale in sacris vocat.

Sanctio P. W. iam ad possessionem iurium quam realem bonorum Catholicis competentium pertinet; eadem elucet mens Legislatoris, eadem adest legis ratio. Liceat igitur hunc locum per §. 26. a. V. illustrare. Ibi dicitur: *Omnia quoque monasteria fundationes & sodalitia mediatis quae die prima Ianuarii a. 1624. Catholici realiter possederunt, possideant & ipsi similiter, ut in A. C. statuum territoriis & ditionibus ea sita sint.*

Quid vero si Catholici anno decretorio publicum exercitium religionis non habuerunt? Expedita res est, si Iurisdictionem Ecclesiasticam Principum Euangelicorum agnouerunt? Legem adeamus: *Eodem etiam iure, inquit, A. C. Magistratum Catholicum subditi censeantur.* Quale sit idem istud ius, queritur?

Negari non potest, concipientem Instrumenti in antecedentibus de iuribus Euangelicorum locutum fuisse, qui anno normali iurisd. Eccles. agnouerunt; mutatis igitur personis, eadem manet applicatio Legis.

Plenius autem illustrari possunt haec verba ex Art. V. §. 26. vbi dicitur: *Quod si quoque A. C. addieti in eiusmodi bonis (i. e. monasterii fundationibus &c.) mediatis, dicto anno dieque a Catholicis realiter plene vel pro parte possessis iura*

*iura praesentandi, visitandi, inspectionis - - - habuerunt,
item parochos praepositos ibi aluerunt, iura illa iis sarta
tectaque maneant.*

Si partialia haec iura A. C. additis concessa sunt, quia
lia ipsis non competent, concurrente in ipsis superioritate
Territoriali.

Et in ipsis tamen territoriis, vbi tanta vigent Euang.
iura, horum exercitium nonnisi salua libertate conscientiae
Catholicorum, intelligi posse videtur, quae enim in pari casu
Ev. concessa sunt, Catholicis certe ex mente P. W. iura re-
ciproca statuente, non deneganda erunt. Aequum inde est,
hoc casu Catholicae Ecclesiae praesse Episcopos *), vt adeo
non dissentiat hic Hennigesius cum contendat Ius Dioce-
fanum verlari in aetibus qui sunt publici exercitii, quale Ca-
tholicis non competat; vbi id anno decretorio non habuerint;
licet ei concedere non possimus omnes aetus iuris Diocefani
pertinere ad publicum religionis exercitium, cum quidam
horum veluti conciones, sacramentorum administrationem a
Clericis Catholicis inferioribus peragi possint, & debeat qui
ex principiis suae religionis diiudicandi sunt, & episcopo
subesse possunt. Ceteri aetus sunt Diocefani qui formu-
lam fidei catholicae nullatenus concernunt & ad regimen
ecclesiasticum pertinent, Principi Euangelico possunt com-
petere in possessione anno normalis. Si nec episcopo, nec
Principi euangelico in anno hoc subs fuerunt catholici, sibi

F 3

ipsis

*) Si in anno decretorio in eius possessione fuerint.

ipsis relieti in caussis religionis, non agnoscunt susperiorem
in illis, sed quodammodo eodem independentes censemur.

Enarratis iam iuribus Catholicis & A. C. addictis ex
mente P. W. competentibus, hic pro ratione instituti subsistimus.
Quae enim intaeta adhuc reliquimus iura Euangeli-
corum in duas partes abeuntium, cum ea in applicatione ad
Marchiam Electoralem *) tractare animus est, impares nunc
tanto operi, mox forsitan, eorum auxilio qui de iure nostro
patrio adeo bene meriti sunt, perpendere licet.

*) Expectatur Ius Brandenburgicum Ecclesiasticum ex schedis Au-
toris des Preussischen Krieg- und Stempelrechts. Nec de-
runt forsitan alii qui Ius Brandenburgicum exculti sunt.
Immensae constitutionum segeti falcam primi iam immis-
erunt H. WOLTAER in Observationibus suis & Cl. WAN-
GEROW in seinem Wechselrechte.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-750580-p0054-9



Kr 3581

ULB Halle
006 663 478


3



1618

Farbkarte #13

B.I.G.



44
NATVRA ET INDOLES
POTESTATIS ECCLESIASTICAE
PRINCIPVM IN GERMANIA
EX MENTE
INSTRVMENTI CAESAREO-SVECICI
ET
PRAESERTIM ART. 5. §. 48.
IVS DIOCESANVM etc.
AVCTORE
LVDOVICO BRETON.



Kr. 3581

HALAE MAGDEBURGICAE
LITTERIS HENDELIANIS.
MDCCCLXXIX.

2. 4. 06.

